

Liber I.

9

46. *In aciem magneticam solito magis declinantem
post mortem Pauli I. Imperatoris Russiæ.*

Francus et Anglus.

Fr. Tot gradibus quod fallat acies magnetica,
miror.

A. Tu quasi nescires, nunc variasse polum.

47. *De transitu Nelsonis Angli cum classe per sinum
Codanum (Eund) 30. Martii 1801.*

Tota finum Codanum dum transvolat Anglica
classis.

Nelsonico Danicus fegnior ignis erat.

Bellica terrifico tormenta fragore tonabant.

Quidquid cernebam, fulmen et unda fuit.

Obstupere dii *) facinus tam grande: vel ipse

Arcticus est visus contremuisse polus.

48. *Dani ad Hafniam ab Anglis superati 2 Aprilis 1801.*

Quam memoras, Danicam non possum credere
cladem.

Næ tu philosophis stultior esse velis.

Hi quoque facta negant certissima: credere nolunt,

Ni videant oculis dogmata nostra fuis.

49. *Anglus ad Francum de Ministro Pitt.*

A. Crede mihi, verus Pitt Angelus esse videtur.

F. E modo si demas: cætera credo tibi. **)

*) *Reges Suediæ et Daniæ.*

**) *Angelus sine E est Anglus.*